

ETA SIGMA PHI

57th Annual Latin Translation Contest (2007) Advanced Latin

To be written as an examination, under supervision, within a maximum of two hours. No dictionary or other help is permitted. Please write in ink on every other line of the paper provided. The only identification on the contest paper should be the contestant's pen name.

Suetonius describes the kidnapping of the young Julius Caesar by pirates at the conclusion of the wars between Sulla and Marius.

Ceterum composita seditione ciuili Cornelium Dolabellam consularem et triumphalem repetundarum¹ postulauit²; absolutoque Rhodum secedere statuit, et ad declinandam inuidiam et ut per otium ac requiem Apollonio Moloni³ clarissimo tunc dicendi magistro operam daret. huc dum hibernis iam mensibus traicit, circa Pharmacussam insulam a praedonibus captus est mansitque apud eos non sine summa indignatione prope quadraginta dies cum uno medico et cubiculariis⁴ duobus. nam comites seruosque ceteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. numeratis deinde quinquaginta talentis, expositus in litore non distulit quin e uestigio⁵ classe deducta persequeretur abeuntis ac redactos in potestatem supplicio, quod saepe illis minatus inter iocum fuerat, adficeret. uastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum uideretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam auxiliisque contractis et praefecto regis⁶ prouincia expulso nutantis ac dubias ciuitates retinuit in fide.

¹ **repetundae (pecuniae)** = extortion

² The unstated subject of **postulauit** is Caesar. Here the verb is used in a legal context with a genitive object.

³ Apollonius Molon is the nominative.

⁴ **cubicularius, -i (m.)** = valet, servant of the bedroom

⁵ **e uestigio** = on the spot, in an instant

⁶ **regis**, that is Mithradates

Tribunatu militum, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor optigit, actores restituendae tribuniciae potestatis, cuius uim Sulla deminuerat, enixissime iuuit. L. etiam Cinnae uxoris fratri, et qui cum eo ciuili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem rogatione Plotia⁷ confecit habuitque et ipse super ea re contionem.

⁷ Plotia is in agreement with **rogatione**, in reference to the introduction of the bill by a certain Plotius.